



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 51. Cæsarini Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

translatum, atque ibidem in Ecclesia S. Sæc. XVI.  
 Nicolai sepultum est. A.C. 1542.

§. LI.

*Cæsarini Cardinalis extrema.*

**A**lter erat Alexander Cæsarinus patria *Ciac. l. c.*  
 Romanus, qui primo Protonotarius *p 404.*  
 Apostolicus creatus est, postea vero spe- *Aubery vie*  
 ciali amicitia Medicææ familiæ Princi- *des Card.*  
 pibus junctus a Leone X. Papa, qui ex *Ughel. in*  
 eodem genere ortum duxerat, die pri- *Italia sacra.*  
 ma Julii anno salutis millesimo quingen-  
 tesimo decimo septimo Cardinalis Dia-  
 conus titulo SS. Sergii & Bacchi renun-  
 tiatus est: Clemens autem VII. Papa  
 hunc titulum commutavit, atque Ale-  
 xandrum Ecclesiæ ad S. Mariam in Via  
 lata adscripsit, ac denique Paulus III.  
 Albanensem, Prænestinam & Pampe-  
 lonensem Ecclesiam eidem regendam  
 concessit. Præterea administravit Cæ-  
 sarinus Hidruntinum, Brixientem, alios-  
 que Episcopatus: electo autem in Pon-  
 tificem Adriano VI. a S. R. E. Cardina-  
 lium Collegio Cæsar-Augustam missus  
 fuit, ut novum Papam veneraretur, ac  
 cum eo de maximi momenti negotiis  
 conferret. Dein post urbis Romanæ di-  
 reptionem obses Cæsareis copiis datus,  
 a Paulo III. unacum Cardinale Senensi,  
 Episcopo Ostiensi Legatus ad Carolum  
 V. Cæsarem decernebatur, ut eidem ob  
 Afri-



Sæc. XVI.

A.C. 1542.

Africanam expeditionem, nec non victoriam, quam Tuneto expugnato de Turcis retulerat, gratularetur. Anno Incarnationis millesimo quingentesimo trigesimo septimo mense Junio ab eodem Pontifice, qui Cæsarem ac Franciæ Regem firmæ pacis vinculo conjungere percupiebat, unacum Cardinalibus Senensi, & Ghinuccio ad ambos hosce Principes ablegabatur, nec non ab eodem Pontifice ad plura alia negotia tandem perficienda seligebatur, imo erat etiam unus inter reliquos, qui ad Concilium, quod paulo post Paulus III. celebrare decreverat, dirigendum destinabantur. Ceterum Vir erat summa integritate percelebris, ac literarum omnium amantissimus. Recenset Ciaconius duas epistolas ad eum a Sadoletto Cardinale scriptas, ex quibus fat luculenter demonstratur, quanti totum sacrum Purpuratorum Collegium hunc Virum fecerit. Obiit Romæ die decima tertia Februarii anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, & corpus ejus ad Ecclesiam Aræ Cœli in familiæ suæ sacello sepulturæ datum fuit. Paulus Jovius itidem hunc Cardinalem amplissimis celebrat elogiis.